



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Gradus, Scalæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

*Area, Horreum, Tectum.*

*V*entilabrum in manu sua, & permundabit  
aream suam, & congregabit eriticum suum  
in horreum, paleas autem comburet igne inextin-  
guibili. Matth. 3. Sinite utraque crescere usque  
ad messem. Colligite primum zizania, & ali-  
gate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum  
autem congregate in horreum meum. Matth. 13.  
Oculi Domini super timentes eum, firmamentum  
virtutis, tegumen ardoris, & umbraculum me-  
ridiani. Eccl. 34. Non sum dignus ut intres sub  
tectum meum. Matth. 8. Nihil opertum est, quod  
non reveletur. Quod in aurem locuti estis in ca-  
buculis, predicabitur in tectis. Luc. 12. Quod in  
aure auditis [privatâ instructione] predicabitur  
super tecta. Matth. 10. Palam & apud omnes  
evulgate.

*Gradus, Scala.*

*V*idit in somnis scalam stantem super terram,  
& cacumen illius tangens celum, Angelos  
quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam,  
& Dominum innixum scale. Gen. 28. Provi-  
dentia nempe Dei per Angelos regit mundum.  
Et Princeps per Ministros suos regens ditionem  
ad eorum ascensum & descensum, sive quæ ha-  
beant principia, quos mores, diligenter debet  
attende



attendere. *Uno tantum, ut ita dicam, gradu ego, morsque dividimur.* 1. Reg. 20. Hoc omni momento mortalis homo cogitare de se debet. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt* ( cuiuslibet gradui gratia sanctificantis correspondet gradus gloria ) *Et multam fiduciam in fide, que est in Christo Jesu.* 1. Tim. 3.

*Sedes, Cathedra.*

*S*edes posita erat in celo, *Et supra sedem sedens In circuitu sedis sedilia viginti quatuor. Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes.* Apoc. 4. O augustam Aulam! quid respectu eius sedes aurea, argentea &c. Principum mortalium in suis palatiis? qualis mutatio! dum Rex in Sede ignea constrictus catenis mancipii instar in inferno ululabit, & pauper sedebit in throno in celo. *Dominus in celo paravit sedem suam, Et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Prov. 10. *Aedificabo in generationem Et generationem sedem tuam.* Pl. 88. Talia promittit Deus piis Principibus, & in seros promissa servat nepotes; dummodo majorum suorum in pietate Deique timore exempla sequantur. Hoc experta est domus Habsburgica; & experietur Lotharingica ab eodem ut perhibetur masculino sanguine descendens, & Austriacam modo propagans stirpem. Quidquid hæc stirps augusta perdidit; perdidit per fastuosos & infidos Miistros; quidquid acquisivit, habuit per benedicta à Deo arma & connubia. *Benedictio*